



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Vtrum sensualitas sit vis cognitiva uel appetitiva tantum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

ad bonum dirigitur, sic verum est quod sine gratia F
homo non potest se preparare ad habendum gra-
tiam gratum facientem. Quod quidem patet dupli-
ci ratione. Primo quia impossibile est hominem in-
cipere aliquid de nouo, nisi sit aliquid quod ipsum
moueat, sicut patet per Philosophum in 8. Physic.
quod motus animalium post quietem necesse est
precedere alios motus, quibus anima excitatur ad
agendum. Et sic cum homo se ad gratiam incipit
preparare, de nouo uoluntatem suam conuertendo
ad Deum, oportet quod ad hoc inducatur aliquibus
exterioribus actionibus, utpote exteriori admoni-
tione, aut corporali aegritudine, aut aliquo huius-
modi, uel aliquo interiori instinctu, secundum quod
Deus in mentibus hominum operatur, uel etiam u-
troque modo: hæc autem omnia ex diuina miseri-
cordia homini prouidentur. Et sic ex diuina miseri-
cordia contingit, quod homo se ad gratiam præ-
paret. Secundo quia non qualiscumque motus uo-
luntatis est sufficiens preparatio ad gratiam, sicut
nec qualiscumque dolor sufficit ad remissionem pec-
cati: sed oportet esse aliquem determinatum mo-
dum. Qui quidem modus homini notus esse non
potest, cum ipsum donum gratiæ cognitionem ho-
minis excedat: non enim potest sciri modus præpa-
rationis ad formam, nisi forma ipsa cognoscatur.
Quandocumque autem ad aliquid faciendum requiritur
aliquis certus modus operationis ignotus operanti,
operans indiget gubernante & dirigente. unde patet
quod liberum arbitrium non potest se ad gratiam
preparare, nisi ad hoc diuinitus dirigatur. Et propter
has duas rationes duplici modo loquendi in scrip-
turis Deus exoratur, ut hanc preparationem gratiæ
in nobis operetur. Vno modo petendo quod nos
conuertat, quasi ab eo in quo erramus ad se conuer-
tat, & hoc propter primam rationem, ut cum dicitur,
Conuerte nos Deus salutaris noster. Secundo
petendo, quod nos dirigat, ut cum dicitur, dirige me
in ueritate tua, & hoc propter secundam rationem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod uidetur no-
bis, quod conuertamus nos ad Deum, quia hoc fa-
cere possumus, sed non sine diuino auxilio: unde ab
eo petimus. Tertio, Conuerte nos Domine
ad te & conuertemur.

AD SECUNDVM dicendum, quod nos aperire cor no-
strum Deo possumus, sed non sine diuino auxilio:
unde ab eo petitur secundo Machabeorum primo,
Aperiat Dominus cor uestrum &c. Et sic dicen-
dum est ad alia, nam nec preparare, nec uelle homo
potest nisi hoc Deus in eo operetur, ut dictum est.

In corp. art.

QVÆSTIO XXV.

De sensualitate.

In septem articulos diuisa.

- ¶ Primo, Vtrum sensualitas sit uis cognitiua, uel ap-
petitiua tantum.
- ¶ Secundo, Vtrum sensualitas sit simplex potentia,
uel diuidatur in plures potentias, scilicet irascibi-
lem & concupiscibilem.
- ¶ Tertio, Vtrum irascibilis & concupiscibilis sit tã-
tum in appetitu superiori uel inferiori.
- ¶ Quarto, Vtrum sensualitas obediat rationi.
- ¶ Quinto, Vtrum in sensualitate possit esse peccatũ.
- ¶ Sexto, Vtrum concupiscibilis sit magis corrupta,
& infecta, quam irascibilis.
- ¶ Septimo, Vtrum sensualitas in uita illa curari pos-
sit a corruptione prædicta.

ARTICVLVS PRIMVS.

Verum sensualitas sit uis cognitiua, uel appetitiua.
QVÆSTIO est de sensualitate, & primo quaeritur,
vtrum sensualitas sit uis cognitiua, uel ap-
petitiua tantum. Et uidetur quod sit uis cognitiua,
quia ut dicit Magister in secundo Sententiarum, dis-
tinct. 24. quod in Anima nostra reperies aliquid
commune cum bestiis, quod ad sensualitatem per-
tinet: sed uires sensitiuæ cognitiuæ sunt nobis, &
bestiis communes. ergo ad sensualitatem pertinet.
¶ 2 Præter. August. 12. de Trinitate dicit, quod sen-
sualis anima motus, qui in corporis sensus inter-
ditur, nobis, & pecoribus cõis est, & seclusus a ra-
tione sapientiæ, & hoc exponens subiungit sensu
quippe corporis corporalia sentiuntur, & terra re-
ro, & immutabilia spiritalia ratione sapientiæ in-
liguntur: sed sentire corporalia est cognitiua, er-
go sensualitas, cuius est actus sensuali motus, est uis
cognitiua. Sed dicendum, quod Aug. hoc scribitur
git, ut manifestet obiecta sensum: sic enim mo-
tus sensualitatis intenditur in corporis sensus, in
quantum uersatur circa sensibilia.

¶ 3 Sed contra, August. hoc subiungit ad ostendendum,
quomodo sensualitas a ratione secludatur:
sed circa corpora, quæ Augustinus dicit esse ob-
iecta sensuum, ratio ueritur, & inferior disponendo,
& superior iudicando, & sic per hoc non secluditur
sensualitas a ratione. ergo Augustinus non in-
tendit hoc, quod dicitur.

¶ 4 Præter. In progressu peccati, quod in nobis agit
ut Aug. ibidem dicit, sensualitas tenetur cum sepe-
tis: sepepens autem in tentatione primorum parentum se-
habuit, ut nuntians, & proponens peccatum, quod
est cognitiua, non autem appetitiua, quia eius est in
peccatum. ergo sensualitas est uis cognitiua.

¶ 5 Præter. Augustinus dicit in eodem libro, quod
sensualitas uicina est rationi scientiæ, non autem
uicina esset, si esset solum appetitiua, cum ratio
tiam sit cognitiua: sic enim ad aliud genus potentia-
rum anima pertineret. ergo sensualitas est cog-
nitiua, & non tantum appetitiua.

¶ 6 Præter. Sensualitas secundum Augustinum deo-
decimo de Ciuitate Dei distinguitur, & a ratione
superiori, & ab inferiori, in quibus appetitus super-
rior, qui est uoluntas, continetur, alias in eis pecca-
tum mortale esse non possit: sed appetitus inferior
non distinguitur, ut alia potentia ab appetitu super-
riori, ut probabitur. ergo sensualitas non est ap-
petitus inferior, est autem aliqua uis anima inferior,
ut ex eius definitione apparet. ergo est uis cogniti-
ua inferior. probatio mediæ, differentia per acci-
dens obiectorum non indicat differentiam poten-
tiarum secundum speciem: non enim uisus distinetur
per hoc, quod est uidere hominem, & uidere
asinum homo enim, & asinus accidunt uisibili
quantum est uisibile: sed appetibile apprehensum
a sensu, & apprehensum ab intellectu, per quæ ui-
dentur superior, & inferior appetitus distingui,
accidunt appetibili in quantum est appetibile, cum
appetibile in quantum appetibile, sit bonum, cui
accidit apprehendi sensu, uel intellectu. ergo ap-
petitus inferior non est alia potentia a superiori:
sed dicendum, quod duo appetitus prædicti di-
stinguuntur per bonum simpliciter, & bonum,
ut punc.

¶ 7 Sed cõtra, sicut se hēt intellectus ad uerũ, ita se
habet appetitus ad bonũ: sed uerũ simpliciter, quod
est

est necessarium, & verum, ut nunc quod est continens, non distinguunt intellectum in duas potencias. ergo nec pones bonum, ut nunc, potest distinguere appetitus in duas potencias.

¶ 8 Præ. Bonum, ut nunc, est bonum apparens, ut videtur, bonum autem simpliciter est verum bonum: sed appetitus superior quandoque in bonum apparens cōsentit, & appetitus inferior aliquod verum bonum interdū appetit, sicut ea quæ sunt corporis necessaria. ergo bonum, ut nunc, & bonum simpliciter, non distinguunt superiorem, & inferiorem appetitum, & sic idem quod prius.

¶ 9 Præ. Vis sensitiva cōtra appetitū dividitur, ut patet per Philosophum in primo de Anima. ubi quinque genera actionum animæ distinguit. scilicet nutrire, sentire, appetere, moveri secundum locum, & intelligere: sensualitas autem sub sensitiva continetur, ut ipsum nomen demonstrat. ergo sensualitas non est vis appetitiva, sed cognitiva.

¶ 10 Præ. Cuiuscunque cōvenit definitio, & definitum: sed definitio sensualitatis, quæ Magister ponit 24. dist. secundi libri Sententiarum, convenit rationi inferiori, quæ interdum intendit circa corporis sensus, & circa ea quæ ad corpus pertinent. ergo ratio inferior, & sensualitas sunt idem: sed ratio est vis cognitiva. ergo & sensualitas.

SED CONTRA est, quod in definitione sensualitatis dicitur, quod est appetitus rerū ad corpus pertinentium.

¶ 2 Præ. Peccatum in appetendo est, non solum in cognoscendo: sed in sensualitate aliquod peccatū est leuissimum, ut August. dicit duodecimo, de Trinitate. ergo sensualitas est vis appetitiva.

RESPON. Dicendum, quod sensualitas nihil aliud esse videtur, quam vis appetitiva sensitivæ partis. Et dicitur sensualitas quia aliqua sensu derivatū. Motus enim appetitivæ partis ex apprehensione quodammodo oritur, quia omnis operatio passivi ab actu originem sumit. Appetitus autem potentia passiva est, quia movetur ab appetibili, quæ est movens non motum, ut dicitur in tertio, de Anima. Appetibile vero non movet appetitum nisi apprehensum. In quantum ergo ex appetibili apprehensum per sensum movet vis appetitiva inferior, eius motus sensualis dicitur, & ipsa potentia sensualitas nominatur. Hæc autem appetitus sensibilis medius est inter appetitum naturalem, & appetitum superiorem rationalem, qui voluntas nominatur. Quod quidem ex hoc inspicere potest, quod in quolibet appetibili duo possunt considerari, scilicet ipsa res, quæ appetitur, & ratio appetibilitatis, ut delectatio, vel utilitas, vel aliquid huiusmodi. Appetitus ergo naturalis tendit in ipsam rem appetibilem sine aliqua apprehensione rationis appetibilitatis: nihil enim est aliud appetitus naturalis, quam quædam inclinatio rei, & ordo ad aliquam rem sibi convenientem, sicut lapidem ferri ad locū deorsum. Quia vero res naturalis in suo esse naturali determinata est, & una est eius inclinatio ad aliquam rem determinatā: vñ non exigitur aliqua apprehensio, per quam secundum rationem appetibilitatis distinguitur res appetibilis a non appetibili: sed hæc apprehensio præexistit in instituentem naturā, qui unicuique naturæ dedit inclinationem propriam sibi convenientem. Appetitus autem superior, qui est voluntas, tendit directe in rationem appetibilitatis absolute, sicut voluntas ipsam bonitatem appetit primo, & principaliter, vel ut

litarē, aut aliquid huiusmodi: hanc vero rem vel illam appetit secundario, in quantum est prædicta rationis particeps. Et hoc ideo, quia natura rationalis est tāte capacitatis quod non sufficeret ei inclinatio ad unam rem determinatam: sed indiget rebus pluribus & diversis. & ideo inclinatio eius est in aliquid commune, quod in pluribus invenitur. Et sic per apprehensionem illius communis tendit in rem appetibilem, in qua huiusmodi rationem appetendam esse cognoscit. Appetitus vero inferior sensitivæ partis, qui sensualitas dicitur, tendit in ipsam rem appetibilem prout invenitur in ea id quod est ratio appetibilitatis: non enim tendit in ipsam rationem appetibilitatis.

quia appetitus inferior non appetit ipsam bonitatem vel utilitatem, aut delectationem: sed hoc utile vel hoc delectabile, & in hoc appetitus sensibilis est infra appetitum rationalem: sed quia non tendit tantum in hanc rem aut tantum in illam, sed in omne id, quod est sibi utile vel delectabile, ideo est supra appetitum naturalem, & per hoc apprehensione indiget per quod delectabile a non delectabili distinguitur. Et huius distinctionis signum cuius dicitur, quod appetitus naturalis habet necessitatem respectu ipsius rei in qua tedit, sicut grave necessario appetit locū deorsum. Appetitus autem sensitivus non habet necessitatem in re aliqua, antequam apprehendatur sub ratione delectabilis vel utilis sed apprehensio quod est delectabile de necessitate facti in illud: non enim potest brutū animal inspicere delectabile non appetit illud: sed voluntas habet necessitatem respectu ipsius bonitatis, & utilitatis. De necessitate enim vult homo bonum sed non habet necessitatem respectu huius vel illius rei, quātūcūque apprehendat, ut bonam, vel utilitatem. Quod ideo est, quia unaqueque potentia habet quandam necessariam habitudinē ad suū propriū obiectum: unde datur intellectui, quod obiectum appetitus naturalis est hæc res in quantum talis res: appetitus vero sensibilis hæc res in quantum est conveniens vel delectabilis, sicut aqua in quantum est conveniens gustui, & non in quantum est aqua, obiectum vero propriū voluntatis est ipsum bonum absolute. Et sic dicitur differre apprehensio sensus & intellectus: nam sensus est apprehendere hoc coloratū, intellectus autem ipsam naturā coloris. Sic ergo patet, quod appetitus alius est secundum speciem voluntas & sensualitas, sicut & alia ratione appetit ipsa bonitas, & hæc res bona, nam bonitas appetit per se ipsam: sed hæc res bona in quantum participat aliquid. Et ideo, sicut participantia dicitur per participationem, ut hæc res bona per bonitatem, ita appetitus superior regit appetitum inferiorem & intellectus eodem modo iudicat de his, quæ sensus apprehendit. Sic ergo sensualitatis propriū obiectum est res bona, vel conveniens sentienti: quod quidem contingit dupliciter. Vno modo, quia est conveniens ad ipsum esse sentiens, sicut cibus & potus, & alia huiusmodi, sicut color pulcher est conveniens visui ad videndum, & sonus moderatus auditui ad audiendum, & sic de alijs. Et sic Magister cōplete sensualitatem notat: per hoc enim quod dicit, quod est quædam vis animæ inferior designatur eius distinctio ab appetitu superiori: per hoc autem quod dicit, ex qua motus, qui intenditur in corporis sensus, ostenditur eius habitudo ad ea, quæ sunt convenientia sensui ad sentiendum: per hoc autem quod dicit, atque appetitus rerum ad corpus pertinentium, ostenditur eius habitudo ad ea, quæ sunt convenientia ad conservandum esse sentientis.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod aliquid pertinet ad sensualitatem tripliciter. Vno modo, sicut quod est

est

est de essentia sensualitatis, & sic ad sensualitatem pertinent solum appetituum vires. Alio modo sicut id quod preexistit ad sensualitatem, & sic vires sensitivæ apprehensivæ ad sensualitatem pertinent. Alio modo sicut id, quod sensualitati obsequitur, & sic motus exequentes ad sensualitatem pertinent. Et sic verum est, quod omnia quæ sunt nobis communia & beatus, ad sensualitatem pertinent aequaliter, quævis non omnia sint de essentia sensualitatis.

In argu.

AD SECUNDUM dicendum, quod Augustinus hoc quod dictum est, subiungit ad explicandum quales sunt actus sensuum exteriorum in quos motus sensualitatis intenditur, non quod ipsum sentire corporalia sit sensualitatis motus.

AD TERTIUM dicendum, quod ratio inferior habet motum circa corporis sensus: sed non eodem modo sicut sensus sui objecta percipiunt, nam sensus percipiunt sua objecta particulariter, ratio vero inferior habet actum circa sensibilia secundum aliquam intentionem universalem. Sensualitas vero hoc modo tendit in objecta sensuum, sicut & ipsi sensus, scilicet particulariter.

AD QUARTUM dicendum, quod in tetatione primum parentum, serpens non solum proposuit aliquid, ut appetendum, sed suggerendo decepit. Non autem deciperet homo proposito sensibili delectabili, nisi iudicium rationis per passionem appetitivam partis ligaretur, & ideo sensualitas vis appetitiva est.

AD QUINTUM dicendum, quod sensualitas dicitur esse vicina rationi scientiæ, non quantum ad genus potentie, sed quantum ad objecta, quia utraque circa temporalia versatur, licet alio, & alio modo, ut dictum est.

D. 23.

AD SEXTUM dicendum, quod diversitas apprehensionum per accidens se haberet ad appetituum vires, nisi diversitati apprehensionum diversitas apprehensionum coniungeretur, nam sensus qui non est nisi particularium non apprehendit bonitatem absolutam: sed hoc bonum. Intellectus vero quia est univocalium, apprehendit bonitatem absolutam, & ex quo diversificatur appetitus inferior a superiori, ut dictum est.

D. 229.

In cor. ar. & ad 3. arg.

AD SEPTIMUM dicendum, quod bonum in quod fertur appetitus sensibilis, est bonum particulare, quod considerat, ut hic, & nunc, siue sit necessarium siue contingens, quia etiam videre solem est oculis delectabile, ut habetur Eccl. II. siue sit verum bonum, siue apparens. Unde patet responsio ad octavum.

AD NONUM dicendum, quod sensitiva pars dupliciter accipitur. Quandoque secundum quod dividitur contra appetitivam, & sic continet vires apprehensivas tantum. Et hoc modo sensualitas non pertinet ad sensitivam partem nisi sicut ad id, quod est quasi eius origo: unde & ab ea potest denominari. Quandoque vero accipitur secundum quod comprehendit in se, & appetitivam & motivam, prout anima sensibilis dividitur contra rationalem & vegetabilem. Et sic in sensitiva parte animæ sensualitatis includitur.

Ad X. dicendum, quod ratio inferior alio modo intendit in corporis sensus, & in res ad corpus pertinentes, quam sensualitas, ut prius dictum est, & propter hoc ratio non sequitur.

ARTICULVS II.

Utrum sensualitas sit una simplex potentia, vel dividatur in plures, scilicet irascibilem, & concupiscibilem.

2. p. q. 81. ar. 2.

SECUNDO QUÆRITUR, UTRUM SENSUALITAS SIT UNA SIMPLEX POTENTIA, VEL DIVIDATUR IN PLURES POTENTIAS,

scilicet irascibilem, & concupiscibilem. Et videtur esse una simplex potentia non divisa in plures potentias, quia in definitione sensualitatis dicitur, quod est quædam vis animæ inferior, quod non dicitur si in se plures vires contineret. ergo videtur quod non dividatur in plures potentias.

¶ 2 Præ. Eadem potentia animæ est unus contrarietas, ut visus albi, & nigri, sicut dicitur in secundo de Anima. Sed conveniens, & nocivum sunt contraria, ergo eadem vis animæ se habet ad utrumque, scilicet concupiscibilem, se habet ad conveniens, irascibilem vero ad nocivum. ergo eadem vis est irascibilis, & concupiscibilis, & sic sensualitas non dividitur in plures vires.

¶ 3 Præ. Per eandem virtutem aliquis recedit ab uno extremo, & accedit ad alterum, sicut ratione gravitatis lapis recedit a loco supremo, & accedit ad locum infimum: sed per vim irascibilem anima recedit a nocivo fugiendo ipsum, per vim autem concupiscibilem accedit ad conveniens concupiscendo ipsum. ergo eadem vis animæ est irascibilis, & concupiscibilis, & sic idem quod prius.

¶ 4 Præ. Proprium obiectum gaudij est conveniens, gaudium autem non est, nisi in concupiscibili. ergo proprium obiectum concupiscibilis est conveniens. sed conveniens est obiectum totius sensualitatis, ut patet ex definitione sensualitatis præposita, nam res ad corpus pertinentes sunt res corpori convenientes. ergo tota sensualitas nihil aliud est quam concupiscibilis: aut ergo irascibilis, & concupiscibilis sunt idem, aut irascibilis ad sensualitatem non pertinet, & quodlibet horum dicitur habetur propositum, quod sensualitas est una simplex vis. Sed dicendum quod sensualitatis obiectum est etiam nocivum, sed inconvenientis, ad quod irascibilis se extendit.

¶ 5 Sed contra, Sicut conveniens est obiectum gaudij, ita nocivum, vel inconvenientis est obiectum tristitiæ: sed tam gaudium quam tristitia sunt in concupiscibili. ergo tam conveniens quam nocivum sunt obiectum concupiscibilis, & sic quicquid est obiectum sensualitatis est obiectum concupiscibilis, & ita idem quod prius.

¶ 6 Præ. Appetitus sensibilis præsupponit apprehensionem: sed eadem vi apprehensiva apprehendit conveniens & nocivum. ergo & eadem vis appetitiva se habet ad utrumque, & sic idem, quod prius.

¶ 7 Præ. Secundum Augustinum odium est ira immoderata: sed odium est in concupiscibili, ut probatur in secundo Topico. quod amor est in eadem, ita autem in irascibili. ergo eadem vis est irascibilis, & concupiscibilis: aliter enim ira non posset esse in utraque.

¶ 8 Præ. Illud animæ, quod cuilibet potentie competit, non requirit potentiam determinatam ab alijs distinctam: sed concupiscere ad quilibet potentiam animæ pertinet, quod patet ex hoc, quod quælibet potentia animæ in suo obiecto delectatur, & illud concupiscit. ergo ad concupiscendum non debet aliqua potentia ordinari ab alijs distincta, & sic concupiscibilis non est alia potentia ab irascibili.

¶ 9 Præ. Potentia secundum actus distinguitur: sed in quolibet actu irascibilis includitur actus concupiscibilis, nam ira habet concupiscentiam vindictæ, & sic de alijs. ergo concupiscibilis non est alia potentia ab irascibili.

Sed contra est, quod Damascenus distinguit appetitum sensitivum in irascibilem, & concupiscibilem, & similiter Gregorius Nissenus in libro, quem...